# POPULI ET COMMUNIS FLORENTIAE AD FR. PETRARCHAM...

Firenze, Francesco Petrarca



# POPULI

ET

# COMMUNIS FLORENTIAE

AD

# FR. PETRARCHAM

NONDUM EDITA

EPISTOLA




PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXVIII.



CLARISSIMO VIRO

# ANTONIO BARBO' SONCINO

CANONICO PATAVINO

ANTONIUS MENEGHELLI

S. P. D.

*Quod omnium erat in votis, tu summa unus liberalitate fecisti. Aere tuo stabit viva, de marmore ducta, imago* FR. PETRARCHAE, *tantae Aedis et Urbis mirificum sane ornamentum et decus. Habes argumentum, nescio magis*

*grati, an laeti animi, in Epistola hac de re typis mandata; hanc tibi libentissime voveo. Est una inter plures, quae Deo juvante, ut nosti, fient publici juris. Parumper attende; dabimus quod promisimus. Vale.*

*Datum Patavii Id. Feb. MDCCCXVIII.*

REVERENDO VIRO

# FRANCISCO PETRARCAE

CANONICO PADUANO, LAUREATO POETAE, CONCIVI NOSTRO CHARISSIMO, PRIORES ARTIUM, ET VEXILLIFER IUSTITIAE POPULI ET COMMUNIS FLORENTIAE (1).

Movit iamdiu pariter animos atque aures nostras tui nominis fama, dilectissime Civis, et fausta Patriae nostrae proles. Movit nos admirabilis professionis, et excellentis studii tui meritum, ut qui intonsas a saeculis lauros vertice digno virentes acceperis, sis mirae indolis, et perpetuae posteritati futurum exemplar; apud tuos coaetaneos, Dominos, Cives, et Compatriotas signa quidem internae dilectionis inveneris; qui tibi maioris prosequutionis, ac benignitatis semper gratiam rationabiliter vendicabas. Tibi igitur, quem Dominico, ac paterno semper affectu prosequimur, nequid in urbe tua fortasse minus aequanimiter ferendum sit, ruris aviti pascua concedimus, ac de publico quidem aerario a privatis civibus redempto, ac sine alicuius exceptionis titulo, de mera paternae

dilectionis liberalitate donamus: munus quidem parvum, si ad rem respicias; si ad civitatis nostrae leges, et mores, quum hoc alii cives assequi nequiverint, non modicum, tua gratificatione pensandum. Poteris itaque hanc urbem incolere, quae te genuit. An tibi forte terra marique per varios orbis tractus externa vagis erroribus quaerenda suffragia, aut peregrinis sedibus loca pacis? Nec te patriae praedulcis amor alliciet, quae de cetero Romam alteram Latinis esse non ambigit? Quo enim alio modo illud tibi Virgilianum adscripserimus: *tellus haec te gaudet* (2) *alumno?* Mira quidem de Marone, ac electis quampluribus auctoribus legimus, quos antiquitas ipsa (quo iure (3) tamen incertum est) non novitas, semper facit colendos. Nos vero tibi, quod nostra praesens aetas accomodat, si Caesares non sumus, aut Moecenates, aut talium illustres titulis, quos hactenus coluerunt, libentissime tamen tui erimus protectores, tui honoris avidi, ac promotores liberalissimi, pariter (4) congratulaturi nobis, et Patriae, quae talem ac tantam ex se sobolem produxisse meruerit, unam non urbi suae tantum, sed potius orbi unicam, qualem nec prisca a saeculis vidit aetas, nec sibi surgentem aliam promittit futura posteritas. Neque enim ignoramus, quam rarum, quam colendum, quam divinis ingeniis clarum nomen Poëtae habendum sit. Ideo non im-

merito sacer ille Ennius ausus est suo quodam iure Sanctos appellare poëtas, quos et vates e vi mentis, ac divinos accepimus aut hedera, aut myrtho, aut lauro, paribus fere laudum praeconiis cum triumphalibus Caesaribus coronandos, ut qui e mortalibus immortales se fecerunt, idonei bello rebusque gestis; hi divini atque excellentissimi studii viribus, ac pallentibus otiis, suisque scriptis posteritati mandatis, decerpendi tam difficiles lauros, hederas, aut myrthos, suisque imponendi temporibus, summa quidem auctoritate ac deliberatione maiorum, potestatem sibi pariter vendicarunt. Nam et teste Sallustio, pulcrum est benefacere reipublicae, etiam benedicere, haud absurdum est vel bello, vel pace clarum fieri; sed et qui fecere, et qui facta scripsere, multi laudarunt, *a quibus*, ut ait Lucanus, *omne aevi senium sua fama repellit*. Quis te igitur, praeco ingens, alio adspectu, ac devotione, seu magis veneratione respexerit, quam si Maronis spiritus, aut Ciceronis eloquentia mortales iterum artus induerint? Oh rem detestandam, ut audita potius, quam visa laudemus! Laudamus quidem te, immo admiramur. Quis non admiretur, in tanta magnificorum ingeniorum, ac praestantissimorum hominum copia, seu infinita potius studiorum varietate, tantam fore Scriptorum inopiam, tantamque a saeculis Poëtarum rari-

tatem? Quis aliam in hoc causam reddiderit, nisi rei, ut ait Cicero, quamdam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? quam iam mortalium incuria sopitam, tu solus vigili studio, ac ardentissimi ingenii viribus relevasti. Amplius autem, charissime Civis, quum nuper Civitatem nostram, veluti dextero pede claudicantem, liberis carere studiis videremus, maturo iudicio provisum est, apud nos, secundo sidere ingeniorum, facundissimas doceri artes, et cuiusque professionis vigere studia, ut Res nostra pubblica fulta consilio inter alias, ut Roma parens omnis Ausoniae, sedem sibi principatum accipiat; et demum laetis auspiciis actum, ut magis ac magis in dies ac dies succrescens studio ipso refloreat. Profecto enim illud magnum, illud singulare arbitrabatur Patria, quod tu solus unicusque potes efficere, quod etiam apud veteres rarissimum, ac semper excellentissimum fuit. Itaque tua sacra tempora Patria requirit, quo affectu, quo iure adstrictius potest, ut te duce hoc cohaereat studium, hac singularitate ceteras praecellat. Tu tecum librum, ac legendi facultatem eligas, quem honoris, et otii tui censeas commodiorem. Erunt insuper nonnulli ingenio clari, qui te duce audebunt forsan carmina sua committere famae; etenim parvo principio magnae res conflatae sunt. Accingere igitur, ut ne ulterius, vir optime, Africam tuam, opus quod

immortale laboras, et neglectas per tot saecula Musas Aonias, nomini tuo, et gloriae, aut voluntati nostrae amplius subtrahas. Satis nempe pervagatus es, et mores urbesque tibi exterarum gentium clarae sunt. Te Magistratus quilibet, et privatus, te proceres, et plebei, te lares aviti, te recuperatus ager exposcunt. Venias igitur expectate, venias, et eloquentiae tuae facundia caeptis fave, quem clara voce non revocat, sed absentem diu advocat Patria, quod vix umquam hoc pacto alteri contigisse meminimus. Siquid autem praesentibus minus cultum, minusque luculentum adiectum est, hoc ipsum, ut venias, pro se allegat Patria. Tu tamen nostrae decus Patriae tibi persuadeas nobis fore charissimum, sed multo fore chariorem, si Patrum, ac Dominorum tuae urbis monitis ac praeceptis obtemperes. Plura denique supererant, quae Ioanni Boccacci praesentium latori, civi nostro, et hujus operis legato charissimo, verbo seriosius explicanda commisimus, cui fidem integram per te praestari volumus, tamquam nobis (5).

## ADNOTATIONES

(1) Epistola descripta ex Codice Gaddiano existente in Biblioth. Laurentiana, Pluteo LXXXX Infer. sub. N. XIV, chartaceo in 4.° minori, saeculi XV pag. 106.

(2) In Codice *iacet*.

(3) In Codice iterum habetur *iure*.

(4) In Codice *paviter*.

(5) Haec Epistola Sadio et Baldellio missa videtur anno 1351. Ea enim in qua Petrarcha respondet, tantam Florentinorum in se liberalitatem magnis laudibus efferens, habet: *Patavii VIII. Id. Aprilis*. At hoc evenire non potuit anno 1350. Nam in Ep. 3 lib. XIII Senil. scribit Petrarcha de Aretio: *Plura advenae praestitit Aretium quam Florentia civi suo*. Verum Petrarcha fuit inter Aretinos mense tantum Novembris an. 1350, nempe Roma discedens post Jubilaeum. Ergo Florentini nondum miserant Boccaccium cum Epistola. Non vero anno 1352, quia prope fontem Sorgiae tunc temporis Petrarcha noster vitam degebat. Reliquerat enim Italiam mense Junii an. 1351, ut colligimus ex Ep. 7 8 9 lib. VI Famil.